

6
E. 31. num. 23.
1748 11
Q. D. B. V.
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
SISTENS
QVAESTIONEM
AN ET QVATENVS
MATRIMONIVM
AD
MORGANATICAM
PACTO TALE LICITVM SIT?
IN GENERE,

P. Aeg
QVAM
EX CONCESSV
ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE FRIDERICIANAE
P R A E S I D E
VIRO CONSULTISSIMO AC DOCTISSIMO
D. DANIEL NETTELBLADT
REG. MAIEST. PORVSS. A CONSIL. AVL. ET IN ALMA
FRIDER. IVRIVM P. P. O.

PRO GRADV DOCTORIS


AD DIEM JANVARII MDCCXLVIII.

H. L. Q. C.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVEMITTIT
AVTOR

IOHANNES BALTHASAR KOELBELE
MOENO-FRANCOFVRT.

HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOHAN. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYP.



DISSERTATIO IN VAGABUNDIA JURIDICA
OAVESTIGIATIONIS
AN ET CAVITATIS TOTUM
MATERIALIUM
MOLGANIACVM
PACTO TALAMICTRI SIT
IN CENSURE
COVETUS
HISTORIARUM
KARIS
D. DANIELI
HIERONIMI
FELARDI
RUDIMENTARI
SCHOOLMEN
JASCO COVETUS
HISTORIARUM
KARIS
D. DANIELI
HIERONIMI
FELARDI
RUDIMENTARI
SCHOOLMEN

VIRIS PATRIAE
SPLENDORE GENERIS ET MERITORVM
GLORIA
PERILLVSTRBVS, MAGNIFICIS
EXCELLENTISSIMIS
PRAETORI
CONSVLIBVS
SCABINIS
SYNDICIS
SENATORIBVS
LIBERAЕ CIVITATIS IMPERIALIS
FRANCOFVRTI

PATRIBVS PATRIAЕ
DOMINIS ET MAECENATIBVS

SVMMOPERE COLENDIS

EXCEPTE NTISSIMIS

PRAE TORY

SUBMISSA QVA DECET OBSERVANTIA

HANC

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

D. D. D.

A U T O R.



CAPVT I.
DE
MATRIMONIO AD MORGANATICAM IN GENERE.



§. I.

Familia in praesenti significatu est complexus personarum, inter quos generationis nexus est. Ideo ergo in familia cum aliis esse, idem est, ac cum iis generationis nexum habere.

COR. I. Membrum familiae tale sit per generationem.

COR. II. Per adoptionem membrum familiae non sit. Quanquam, vel lege vel alio actu, ei qui generationis nexus destitutus, iura membris familiae competentia tribui possint.

SCHOLION. ICti saepissime alios conceptus sere frequentiores connectunt. Breuitatis amore autem omnes enarrare nolo, praesertim cum in L. 195. fl. §. I. de V. S. contenti

A 3

sint.

6 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

sint. Ideoque ad hanc legem perlegendam hortor eum, qui horum significatum cupidus. Non minus philosophi diversos significatus huius termini fovent, dum interdum significatum quem *Perillus*, L. B. de wOLF P. VII. I. N. §. 585. & §. 1147. termino *domus* tribuit, familiae termino tribuunt.

§. 2.

Complexus personarum inter quos est generationis nexus, habere possunt iura & obligationes.

§. 3.

Iura & obligationes familiae dicuntur iura & obligationes, complexui personarum inter quos est generationis nexus qua tali competentia.

Sic e.g. in familias illustrium & nobilium I. R. G. dantur feuda, fideicommissa familiae, confraternitates, ganerbina-
tus, insignia &c. Haec toti complexui personarum qua tali
competent; alii minime. Haece vero iura iura familiae
dicci, notorium est.

§. 4.

Societas sibolis procreandae causa forma in legibus praescripta inita, dicitur coniugium.

§. 5.

Maritus vel pater obligatus est, uxorem vel li-
beros in tantum iurum suorum participes reddere,
in quantum finis societatis coniugalis vel paternae
requirit (per princ. I. N.). Fieri vero potest, ut pa-
ter vel maritus plura iura habeat, quam hic finis re-
quirit; aut iura ipsa non permittunt, ut uxor & li-
beri iis fiant participes. Sic in priori casu & pater
vel maritus non obligatus est, ut uxorem & liberos
horum iurum participes reddat; in posteriori vero
parti-

participatio non est possibilis. Inde itaque concipere potes coniugium, in quo nec uxor nec liberi omnibus iuribus mariti vel patris fruuntur. Ideoque etiam concipere poteris tale coniugium, in quo uxor & liberi iuribus familiae (§. 3.) mariti vel patris haud frauentur.

§. 6.

Matrimonium ad morganaticam dicitur coniugium, in quo nec uxor nec liberi iuribus familiae (§. 3.) mariti vel patris utuntur.

ICti tam, quam philosophi varie quanquam matrimonium ad morganaticam definiant, in eo tamen convenient, quod si societas sobolis procreandae causa inita, Quod haec societas forma in legibus praescripta inita sit. Ergo convenient in eo, quod sit coniugium (§ 4.). In eo vero, quod tantum de iuribus familiae non participant, dissentient ICti, & quidem inter eos, iis etiam alia adhuc iura denegant, ex fundamento autem vel plane nullo, vel haud sufficiente. Merito inde assentimus iis, qui eos tantum regulariter & per se de iuribus familiae excludent. Sicque recte dicitur in definitione: quod de iuribus familiae haud frauentur. Vide si B. HEINECIVM in I. G. lib. I. §. 310. Illustr. ESTOR in diss. de odio in matrimonia inaequalitate & restrictio iure nobil. Germ. quoad connubia. Celeb. SCHWEDERVM diss. de matrimonio ad morg. Celeb. CANZIVM in discipl. mor. §. 818. B. KOEHLERVS in iure soc. & gent. §. 170. Inter omnes vero maximopere nobiscum consentit Conf. WOLFARTH. in tr. de matr. ad morg. §. 6.

§. 7.

Quicquid valet de coniugio in genere absolute; valet quoque eodem modo de matrimonio ad morganatici-

8 DISSERTATIO IN AVGVSTALIS

naticam: quicquid vero valet de coniugio in genere conditionate; sub eadem conditione de matrimonio ad morganaticam valet. *Enimvero matrimonium ad morganaticam est species coniugii (§. antec.). Quicquid vero de genere valet absolute; de specie quoque valet: & quicquid de genere conditionate valet; eadem conditione, in specie posita, valet.* *Pers illustr. L. B. de WOLF. Log. §. 236.*

COR. I. Matrimonium ad morganaticam forma, coniugio in legibus praescripta, eadem, est ineundum.

COR. II. Quae matrimonio ad morganaticam cum reliquis coniugii colspecibus communia sunt; in eo valent.

Ex hoc spho intelligere poteris, quaenam iura & obligaciones uxori & liberis morganicis competant. Inferiat tanquam principium cognoscendi in hac materia iura & obligationes speciales. Non enim propositum permitit, ut eas sigillatum pertractemus. Quare etiam breviter amantes B. L. tractatum *Confult. WOLFARTH. de matr. ad morganaticam*. Optimo marte in hoc tractatu, communia matrimonii nostri cum reliquis coniugii speciebus, pertractata sunt. Unde non nisi unicum, quod pace viri consultissimi monendum, habemus. Inquit nimil, in omni allodio per N. 118. liberis morganicis esse ius hereditarium legale. Verum enim vero fideicomissa familiae sunt iura familiae. Fideicomissa vero quaedam familiae sunt allodia. Ergo quaedam allodia sunt iura familiae. At vi sphi antecedentis liberi morganici de iuribus familiae haud participant. Sieque secundum hanc sententiam in his iuribus matrimonium ad morganaticam foret illicitum. Excludi vero liberos hosce a fideicommissis familiae, quotidiana consuetudo docet. Hinc non nisi monere volo, distinguendum fuisse, circa ius hereditarium legale liberis morganicis competens,

petens, inter allodium, quod est ius familiae, & tale, quod ius familiae non est. Dari autem ius hereditarium legale, hisce liberis competens; in posteriori ambabus concedo, non aequae in priori.

§. 8.

Qui iura familiae habet, cum eo matrimonium ad morganaticam iniri posse, conceptibile est: non aequae cum eo, qui iis destitutus (§. 6.).

Quanquam & matrimonium celebrans uxorem & liberos a certis iuribus excludere possit; nondum tamen matrimonium ad morganaticam, secundum nostram definitionem contrahit. Cum enim requirantur iura familiae, iis vero destitutus; sic facile propositionem perspectam habes.

Non omnis vero societas sibyllis procreandae causa inita, in qua uxor & liberi iuribus familiae mariti vel patris haud fruuntur; est matrimonium ad morganaticam. Potius ea tantum, quae simul est coniugium (§. 4, 6.). Sicque concubinus, quanquam in eo, & inter alia iura, iuribus familiae uxor & liberi haud participant; nondum tamen est matrimonium ad morganaticam. Non enim est coniugium, sed tantum connubium.

§. 9.

Si nobiles iuribus familiae praediti sunt; matrimonium ad morganaticam eos inire posse, conceptibile est. (§. antec.)

§. 10.

Quicquid §pho anteced. de nobilibus dictum; m. m. etiam de plebeis valet. (§. 8.)

§. II.

Cum in matrimonio ad morganaticam uxor
B &

10 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

& liberi iuribus familae mariti vel patris destituantur; causa adesse deber, quae hunc effectum producit. Haec causa vero vel erit lex tantum, vel pactum tantum, vel lex & pactum simul. In priori casu matrimonium ad morganaticam dicitur *legale*, in secundo *pacto tale seu pactitium*, in tertio vero casu salutatur *mixtum*.

Terminorum: *matrimonium ad morganaticam, morganabicam, disparagium, matrimonium inaequale, matrimonium impar, matrimonium ex ratione status, Ehe zur linken Hand, Miss-Heirath*, maxime vagum dari significatum; inter omnes constat. Ut itaque ambiguitas tollatur, fixum eis tribuere significatum, e re nostra esse, putamus. Et si vero plerumque per *matrimonium ad morganaticam* simpliciter positum intelligatur id, quod cum addito *pactitium* diximus, tamen ut adsit nomen generis, utque eo evidenter statim constet, de qua matrimonii nostri specie nobis sermo sit; Conf. Dn. WOLFARTH sequentes, notiones dicto modo formare plauit.

§. 12.

Matrimonium ad morganaticum pacto tale inaequales vel aequalis conditionis erunt; vel inaequalis. In priori casu a me dicitur *matrimonium ad morganaticam pacto tale aequale*; in posteriori vero inaequale.

§. 13.

Si lex efficit matrimonium ad morganaticam; efficit eo ipso uxorem uxorem & liberos iuribus familae mariti vel patris haud uti (§. 6.). Hoc vero vel ita fit, ut uxor & liberi vel omnibus iuribus familae

I V R I D I C A .

II

miliae mariti vel patris haud utantur; vel ita, ut tantum aliquibus haud utantur.

Sic si lex ait: uxorem & liberos morganicos, ab omnibus iuribus familiae, aut simpliciter, a iuribus familiae, exclusos esse volo; efficit, ut de omnibus haud participant. Si vero ita ait: exclusi sunt a feudis; efficit, ut de aliquibus haud participant.

§. 14.

Si per legem, de omnibus iuribus familiae mariti vel patris, uxor & liberi morganici haud participant, ad exclusionem ab hisce iuribus, siveque ad validitatem matrimonii morganatici nihil aliud praeter legem requiritur: siveque pactum quo matrimoniam ad morganaticam determinatur, in dato casu est superfluum. Cum enim quicquid lex iam determinat, per pactum determinari non opus sit; veritas huius propositionis per se patet.

§. 15.

Si lex uxorem & liberos morganicos non de omnibus iuribus familiae mariti vel patris privat; vel de omnibus privandi erunt, vel non.

§. 16.

Si lex uxorem & liberos morganicos non omnibus iuribus familiae mariti vel patris privat, iis tamen privandi sunt; accedere debet pactum: sive illud, matrimonium ad morganaticam sit mixtum. Et enim in dato casu legem tantum rationem contine-re; ut uxor & liberi de quibusdam iuribus familiae tantum non participant, supponitur. Supponitur

B 2 porro

12 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

porro de omnibus iuribus familiae excludendos esse.
Lege vero cum hoc non fiat; alius necessario requiriatur actus. Qui cum pro substrata materia non alius nisi pactum esse possit; in dato casu accedere pactum, necesse est. q.e.p.

Cum itaque, per demonstrata, tam lex quam pactum in dato casu causa sint; matrimonium ad morganaticam sit mixtum (§. II.).

§. 17.

Ubi nec matrimonium ad morganaticam legale, nec mixtum; ibi, ut pacto tale obtineat, requiriatur (§. II.).

§. 18.

In matrimonio ad morganaticam pactio, inter personas contrahentes, semper pactum accedere, requiritur. Quia sine eorum consensu, tale matrimonium haud concipi potest. Praeter hoc pactum vero, vel pactum accidere potest, quo alii statuerunt, tale matrimonium esse debere morganaticum; vel non.

Hacce quae de matrimonio ad morganaticam in genere dicta, quanquam aliis questionibus & illustrari & ampliari possint, tamen sufficiant. Nec enim scopus, nec spatum, permittunt; ut iis fusius operam navaremus. Est vero, inter alias questiones in hac praesenti materia speciales, vili neutiquam momenti, *quaestio an & quatenus matrimonium morganaticum pactuum licet sit.* Inveniuntur textus juris feudalis infra citati, quae huius questionis normam ponunt. Mala interpretatio, horum textuum, malas gignit doctorum opiniones. Quidam eorum, ex hisce textibus, per clara verba,

verba, illicitum esse hoc matrimonium; demonstrare tentant: quidam vero aliter argumentant. Speciosissimum se-
re videtur argumentum eorum, qui sequenti modo filium tra-
hant: aut contrahentes sunt aequales, aut inaequales. Si ae-
quales sunt, aiunt, liberi pacto parentum iuribus familiae pri-
vari nesciunt. Si posterius; leges iam determinarunt matri-
monium ad morganaticam: ideoque pactum est superfluum, &
nullum habet usum. Inde ergo argumentant: pacta morga-
natica & sic matrimonia ad morg. pactitia nullum in I.R.G.
habere usum. Vide sis Illustr. schma vs. in comp. I. publ.
lib. II. cap. XVI. §. XVIII. in fine. At, in utrisque membris,
praedicata universaliter vera esse; negandum. Circa hanc
vero quaestione a se invicem bene distinguendum venit;
utrum quaestio liciti pertractanda sit nullo habito respectu
personarum diversitatis; aut potius respectus personarum in
I.R.G. habendus. Prins nostra est intentio. Finis ideo
parti generali imponatur, & per novum caput pars specialis,
de nostro proposito differens, in scenam ducatur.

C A P V T II.

DE EO QVOD IVSTVM EST,
CIRCA QVAESTIONEM AN-
ET QVATENVS MATRIMONIVM
AD MORGANATICAM PACTO TA-
LE IN I. R. G. LICITVM SIT?
IN GENERE.

§. 19.

Id ad quod agendum ius habemus, dicitur *li-*
citum; id vero ad quod omittendum obligamur, di-

B 3

citur

14 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

citur *illicitum.* Per illuſtr. L. B. de WOLF. Philoſ.
pract. univ. P. I. §. 170.

COR. Quando ad matrimonium ad morganaticam pa-
cto tale peragendum, ius datur; est licitum: quando vero
ad illud omittendum motiva adſunt; est illicitum.

§. 20.

Ius agendi aut obligatio omittendi, vel ratio-
nem habent in ipsa natura & effentia rerum; vel in
voluntate entis rationalis; vel in utroque ſimul. In
priori caſu licitum *naturaliter* tale adefit; in ſecundo
positivum; in tertio vero caſu *mixtum.*

Voluntas autem entis rationalis, vel cognoscitur
ex lege; vel ex actu quodam iuridico seu morali.
Licitum ergo aut illicitum *positivum* vel in lege, vel
in actu quodam iuridico rationem habet.

§. 21.

Illicitum *naturaliter* hypothetice tale, licitum
positivum; & licitum hypothetice *naturaliter* tale,
illicitum *positivum;* fieri potest.

§. 22.

Quicquid §pho 20. & 21. dictum; valet quoque
de matrimonio ad morganaticam pacto tali.

COR. De licto vel illico matrimonii nostri iudicatu-
rus, respiciat, si de eo generaliter iudicium formare vult; ad
leges tam naturales, quam positivas, & quid haec in illis mu-
taverint; si vero ſpecialiter, cum hisce & actus iuridicos rite
combinet.

§. 23.

Actionem quandam committendo, vel oritur
tantum

tantum perfectio; vel tantum imperfectio; vel utrumque simul. Si utrumque inde oritur, vel perfectio erit maior; vel imperfectio.

§. 24.

Si ex actione quadam tantum oritur imperfectio; actio illicita est: si vero tantum oritur perfectio; actio est licita. (pr. princ. I. N.).

§. 25.

Actio, qua tam perfectio, quam imperfectio oritur, quando perfectio major est imperfectioni; est licita: quando vero imperfectio perfectioni major est; est illicita. (p. princ. I. N.)

§. 26.

Impedimentum seu obstaculum dicitur oppositum accidentis inhaerentiae. (Celeb. BAVM GAR. TEN Met. §. 221.). Accidens vero hoc inhaerens (cit. Met. §. 192.) vel erit ipsa existentia; vel non. Si prius, a me oppositum hocce dicitur impedimentum existentiae.

§. 27.

Impedimentum iuris dicitur oppositum accidentis inhaerentiae iuris; sique hoc accidens iuris inhaerens est iuris existentia, oppositum hoc a me salutatur impedimentum existentiae iuris.

§. 28.

Impedimentum iuris tam in genere, quam in specie existentiae iuris; involvit imperfectionem. Posito enim impedimento iuris, ponitur eo ipso oppositum accidentis inhaerentiae iuris (§. antec.). Oppo-

16 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

Opposita vero dissentunt (cit. Met. §. 51.). Ergo impedimentum iuris involvit dissensum. Ergo etiam involvit imperfectionem (cit. Met. §. 121. n. 2.). Unde nostra propositio patet.

§. 29.

Impedimentum iuris cum imperfectione vel involvit simul perfectionem; vel non. Si simul involvit perfectionem, vel perfectio maior erit imperfectione; vel imperfectio maior erit perfectione.

§. 30.

Action, qua impedimentum iuris fit, ait nulla plane promovetur perfectio; est illicita (§. 24. 28.).

§. 31.

Action, qua impedimentum iuris fit, sed promovetur perfectio, minor, imperfectione ex impedimento resultante; actio est illicita (§. 25.).

§. 32.

Action, qua impedimentum iuris fit, & promovetur perfectio, maior, imperfectione ex impedimento resultante; est licita (§. 25.).

§. 33.

Ius aut existit, seu actu competit; aut tantum possibile est, seu actu nondum competit. In priori casu dicitur *quae situm*; in posteriori vero *acquirendum*.

§. 34.

Ius pro facultate morali sumptum, vel competit ex ipsa natura & essentia; vel ex voluntate entis rationa-

tionalis. Hinc & ius pro facultate morali sumtum, in naturale & positivum dividi potest. Ad positivum vero is, cui competit, vel aliquid contulit ad acquisitionem iuris; vel non. In posteriori casu dicitur *ius ex providentia alterius*.

Concludi potest: si is, eui competit ius ex providentia alterius; ad acquisitionem nihil contulit; non acceptavit. Ambabus concedo. Ergo inde ii, qui acceptationem esse-
tiale huius acquisitionis ponunt, concludere possunt: *non dari secundum iua naturae ius ex providentia alterius*. At in praelenti non opus erit, ut ideo cum iis manus consererem. Cum enim luce meridiana clarior sit, dari ex legibus positi-
vis tale ius; aethiopem lavarem.

§. 35.

*Ius ex providentia alterius esse potest ius acqui-
rendum* (§. 33, 34.). Quodcunque enim praedica-
tum subiecto non repugnat; ei tribui potest.

§. 36.

*Dantur iura familiiae ex providentia alterius
acquirenda* (§. 3. & antec.).

§. 37.

Nondum natus habere potest iura acquirenda (§. 33.); *sicque etiam iura familiae ex providentia alterius acquirenda* (33, 34, & antec.). Ius enim ac-
quirendum, si nondum nato tribuitur; est praedi-
catum. At nondum nato, subiecto suo, non re-
pugnat.

§. 38.

Impedimentum existentiae iuris (§. 27.) *ex pro-
viden-*

C

18 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

videntia acquirendi familiae nondum nati possibile est.
Existentia enim huius iuris absolute necessaria non
est (p. princ. met.). Ergo oppositum eius est pos-
sibile (p. eadem). Oppositum vero est impedimen-
tum (§. 27.). Unde propositio patet.

§. 39.

Quicquid Iphis 30, 31. & 32. de impedimento iu-
ris in genere conceperimus; valet quoque de impedi-
mento existentiae, iuris familiae ex providentia alte-
rius acquirendi (§. antec.).

§. 40.

Iura familiae parentis vel ita comparata erunt,
ut liberi nondum nati iisdem, in casu quo aliud ma-
trimonium initur, gaudeant tanquam iure ex pro-
videntia acquirendo; vel non.

§. 41.

Si iura familiae patris non sunt ius familiae
nondum natorum ex providentia acquirendum; ma-
trimonium ad morganaticam pacto tale non est impedi-
mentum existentiae earundem iurium: sicque inde
illicitum fieri nequit. Enimvero impedimentum iu-
ris supponit accidentis inhaerentiam (§. 27.). Ius
vero deficit, cuius tamen accidens inhaerens suppo-
nitur. Ergo deficit accidens inhaerens. Ergo impedi-
mentum. Cum itaque nullum detur impedimentum, per se patet & matrimonium ad morgana-
ticam pacto tale impedimentum haud esse. q.e.p.

Deinde cum ex impedimento iuris interdum fiat
illicitum (§. 30, 31, 32.), matrimonium vero nostrum
in

in dato casu impedimentum haud sit; in impedimento quoque matrimonii nostri ratio illiciti vel liciti esse nequit (§. 19.). Unde haec altera propositio pater.

§. 42.

Si iura familiae patris ita comparata sunt, ut in casu, matrimonio morganatico pactitio opposito, liberi iure familiae ex providentia acquirendo gaudent; vel patri erit ius disponendi, quid de iuribus hisce nondum natorum fieri velit: vel non.

Si prius, pater vel in in totum disponere ius habet; vel tantum pro parte. Si tantum pro parte, vel habet in casu ineundi matrimonii morganatici pactitii; vel non.

§. 43.

Si patri competit ius, in totum aut in casum ineundi matrimonii morganatici pactitii, de iure nondum natorum familiae ex providentia acquirendi disponendi; matrimonium ad morganaticam pactitium licitum est: si vero parenti, de iure nondum natorum iam dicto, aut nullum plane ius, aut tale ius competit, quod se se in casu matrimonii nostri non exerit; matrimoniam hocce est impedimentum iuris familiae ex providentia acquirendi nondum natorum. In primo enim casu actio est licita (§. 19.). In posteriori vero matrimonium ad morganaticam pactitium efficit, ut iura nondum natorum existentiae dari nequeant (§. 6.). E. est oppositum existentiae. E. impedimentum (§. 27.).

C 2

§. 44.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

§. 44.

Matrimonium ad morganaticam pacitum in casibus in membro secundo spbianc. relatis involvit imperfectionem (§. 28. & antec.).

§. 45.

Si matrimonio morganatico pacitio nulla plane promovetur perfectio; est illicitum (§. 30. & antec.).

§. 46.

Si matrimonio ad morganaticam pacitio minor promovetur perfectio, & maior imperfectio; est illicitum (§. 31. & 44.).

§. 47.

Si matrimonio ad morganaticam pacitio maior promovetur perfectio, minor vero imperfectio; est licitum (§. 32. & 44.).

§. 48.

Iura familiae patris utplurimum ita sunt comparata; ut iis liberi nondum nati, tanquam iure familiae ex providentia acquirendo, gaudent: sive sunt ordinarium (§. 40.).

Antecedens quilibet, qui historica cognitione, de feudis, fideicommissis familiae, pacitis successoris, ganerbinatibus &c. in I. R. G quotidie obvenientibus, instructus; tanquam experientiam indubitateam nobis concedit. Non est ergo, ut huius propositionis demonstrationis magna habeatur ratio. Consequens vero statim ex concepta ordinarii patet, quippe quod est id, quod utplurimum sit.

§. 49.

Iura familiae patris, quae nondum natis sunt ius familiae ex providentia acquirendum; sunt praesumen-

sumenda. Etenim sunt ordinaria (§. antec.). Ergo sunt praesumenda.

§. 50.

Matrimonium ad morganaticam pactitium sub circumstantiis §. 48. & 49. relatis; licitum esse, haud praesumitur. Enimvero in dato casu, si licitum esse debet; requiritur, ut nullum plane ius acquirendum nondum natorum detur (§. 41.). Dari autem tale ius, ordinarium est (§. 48.). Ergo nullum dari, extraordinarium est. Ergo non praesumitur (§. antec.).

§. 51.

Ius familiae nondum natorum ex providentia acquirendum, ita concessum, ut patri ius disponendi de eo competit (§. 42.); haud praesumitur. Etenim tale ius, si ita concessum; parum perficit. In concedendo vero iure, semper ita concessum esse praesumendum; ut in concessionario perfectionem optimam efficiat.

§. 52.

Matrimonium morganaticum pactitium ideo licitum esse, quia parenti de iure liberorum disponendi ius competit; haud praesumitur. Rationem continet in iure parentis, de iure liberorum disponendi. Ipsum autem hoc ius non praesumitur (§. antec.).

§. 53.

Ius familiae nondum natorum ex providentia acquirendo in ius quae situm transeuns, quo posito ponitur imperfectio, perfectioni maior, haud praesumitur.

22 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

tur. Tale enim si ponitur, eo ipso ponitur concedentem imperfectionem promovere velle. Ergo concedentem esse malum. Quilibet vero bonus est praesumendus. Ergo & perfectionem promovere velle, praesumendus. Ergo praesumendus, tale ius non concedere.

§. 54.

Matrimonium ad morganaticam pactum ideo licitum esse, quia eo omisso maior oritur imperfectio; haud praesumitur. Eo enim omisso ponitur ius familiae, salvum; ex quo maior imperfectio oriri debet, quam perfectio. Hoc autem non praesumitur (§. antec.). Matrimonium vero nostrum licitum esse, sub datis circumstantiis, requiritur.

§. 55.

Praeter species liciti matrimonii nostri §pibus 41, 43. & 47. relatas, nullas alias species licitas dari; quilibet, qui totum hoc caput perlustrat, perspetum habebit.

§. 56.

Matrimonium ad morganaticam pacto tale in dubio licitum esse; haud praesumitur. Species enim §pho anteced. relateas, sunt omnes species licitae. Omnes vero hae species non praesumuntur (§§. 50, 52, 54.). Quicquid vero valet de omnibus speciebus simul sumitis; valet quoque de genere. Ergo matrimonium nostrum in genere, in dubio licitum esse, non praesumitur.

§. 57.

§. 57.

Matrimonium ad morganaticam pactitium in dubio illicitum praesumitur (§. antec.). Oppositorum enim opposita est ratio.

§. 58.

Illicitum ratione improbetur. Ergo matrimonium ad morganaticam pacto tale in dubio ratione improbetur (§. antec.).

§. 59.

In texto I. Feud. 8. princ. non habetur ratio, ob quam matrimonium ad morganaticam pactitium illicitum fieri potest. Textus ille nimurum ita se habet: Si quis igitur deceperit filiis & filiabus superstibus; succedunt tantum filii aequaliter, vel nepotes ex filio, loco sui patris: nulla ordinatione in feude manente, vel valente: Ex teste hocce patet, per verba: nulla ordinatione in feudo manente, vel valente; patrem quid post mortem de feudo fieri velit, disponere haud posse. Necesse esse, ut filii iam nati assumantur, quilibet ad verba legis attendens, facilime perspectum habet. Positis itaque iam natis, si in feudo succedunt; ponitur ius quaeſitum. Ius vero quaeſitum pater, liberis ullo modo auferre nequit: ergo nec de tali ſucceſſione disponere. Econtrario poſitis nondum natis; ponitur tantummodo ius acquirendum (§. 37.). Nondum natī autem tantummodo in matrimonio ad morganaticam pacto tali ponuntur. Ergo in eo tantummodo iura familie acquirenda ponuntur. Iura vero familie quaeſita & acquirenda diversa ſunt (§. 3, 33, 34.).

Iam

24 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

Iam ut decisio casus cuiusdam ex lege fiat, in praesenti requiritur, ut aut ex expressis legis verbis: aut ex argumento legis; aut denique ex analogia iuris, fiat. Interpretationem enim restrictivam hic cessare; quilibet, qui non tyro sed veteranus scholae nostrae est, statim percipit.

Expressis verbis nullam prohibitionem eluescere; testantur ipsa verba legis. Argumentum vero legis requirit conclusionem ex lege legitime deductam. Ergo lex debet esse idea superior, conclusio vero idea inferior. At lex de iure quaesitum iam natorum cogitat: in matrimonio vero nostro supponitur ius acquirendum. Ius vero quaesitum & ius acquirendum, sunt sibi invicem ideae coordinatae (§. 33.). Ideo ergo non sunt sibi invicem ideae subordinatae. Ergo cessat conclusio. Ergo cessat argumentum legis. Denique ad analogiam iuris requiruntur casus, qui sibi invicem ob paritatem rationis substitui possunt. Ratio autem huius legis, est ius quaesitum. Econtrario in matrimonio nostro est ius acquirendum. Ergo diversae adiunt rationes (§. 33.). Ergo analogia iuris cessat. Ergo omnia ad decisionem formandam necessaria cessant. Ergo ratio in hac lege contenta haud est.

§. 60.

Interpretatio legis, qua posita ponitur contradicatio, quoties alia adhuc fieri potest; non est admittenda, sed alia potius eligenda: sicque si interpretatio grammatica contradictione laborat; logica admittenda

da erit. Pone enim, eam admittendam esse; eo ipso quoque contradictione admittenda erit. Posita autem in lege contradictione; ponitur, autorem legis, legislationis in capacem esse. Legislator autem, est autor legis, & imperans. Ergo imperans imperii incapax ponitur. Quod absurdum.

Cum vero, praeter interpretationem grammaticam, nulla detur nisi logica; per se patet, in dato casu logicam esse admittendam.

§. 61.

Textus 2. Feud. 26. §. filii interpretatione grammatica posita; ponitur contradictione. Nimirum verba citati textus ita se habent: *Fili nati ex ea uxore, cum qua matrimonium tali conditione contractum est, ne filii ex ea nati, patri ab intestato, succedant: in feudo succedunt.* Nam quavis ratione improbetur talis conditio, ex usu tamen admittitur. Iam si ponis, tali conditione matrimonium contrahi, ne filii ab intestato succedant, at ulterius non determinas obiectum successionis, indefinite & sic universaliter, ergo & a feudi successione filios excludi, patet. Feudum vero in dubio est ius famiae. Ergo pater tale matrimonium iniens, liberos a iuribus famiae excludit. Ergo matrimonium ad morganaticam partem tale contrahit. Matrimonium vero morganaticam partem in dubio ratione improbetur (§. 58.). Ergo & talis conditio in dubio ratione improbetur. Cum vero lex casum dubium pro substrata materia assumit; recte in data dicitur lege;

D

quam-

26 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

quamvis enim ratione improbetur. Quae verba, cum a verbis: *& usū tamen admittitur*, immediate concomitantur; quid aliud concludere vis, quam matrimonium tali conditione initum ex usū admitti, sicque matrimonium ad morganaticam pactitum ex usū admitti. Si vero hoc matrimonium admittis, eo ipso filii in feudo non succedunt. At ex data lege etiam succedere debent. Ergo haec lex aliquid simultanē affirmat & negat. Cumque hoc fiat, si secundum sensum litteralem explicetur; patet inde: posita huius legis interpretatione grammatica, ponitur contradic̄tio.

§. 62.

Interpretatio 2. Feud. 26. §. filii, qua posita ponit filios morganicos pactitos in feudo non succedere; est interpretatio logica. Eruitur enim haec interpretatio non ex sensu legis litterali, sed ex mente. Quia sensus legis involvit contradictionem (§. antec.). Ergo est interpretatio logica.

§. 63.

Interpretatio 2. Feud. 26. §. filii, qua posita filii in feudo non succedunt; est optima; sicque pluribus interpretationibus minus bonis est praferenda. Si enim plura sunt, quae omnia vicia; illud, quod minimum vitium supponit, est optimum. Ea vero interpretatio textus citato, qua tantum omissam esse particulam non, supponitur; minimum inter plures interpretationes textui nostro citato imputat vitium. Vitium vero in textu latere citato, quacunque

que interpretatione adhibita, negari nequit. Ergo haec interpretatio est optima. Quod erat primum.

Deinde cum optimum sit praferendum; patet hanc interpretationem reliquis praferendam esse. Quod erat alterum.

SCHOL. Si poneretur particulam non haud deficere; contradicendo tamen tollenda. Ut vero hoc fuit, q. id equi-
retur, ut rite determinetur: *quid ratione improbetur;* &
quid usu admittatur. Sane nec probari unquam poterit,
aliud quid esse. Demonstratum enim iam est (§ 58.): *esse
matrimoniam, quod improbatur.* Ideoque talem interpre-
tationem non solum fatam esse, sed etiam si fieri deberet,
plura via legi imputanda esse, patet. Praesertim, quia
quoad posterius, alia aut textui inferenda, aut ex eo reici-
enda essent. Qua de causa, non sine ratione moti, *viri
celeberrimi, CVIACIVS tit. 16.* & cum eo *STRVVIVS in
Synt. I. F. cap. 9. thel. 5.* acque ac civis meus, *Vir amplissi-
mus & perillastris Conf. imp. aul. L. B. a SENCKENBERG*
hanc interpretationem suam faciunt. Postremus hinc, in
elegantissimo suo corp. I F. Germ., citato textui particulam
non inseri, curavit: ut itaque loco eius, quod editio vul-
garis ait: *in feudo succedunt;* apud *SENCKENBERGIVM*
legendum sit: *in feudo non succedunt.*

§. 64.

Interpretatio 2. Feud. 26. §. filii, qua posita filii
morganici in feudo non succedunt; admittenda est.
Est enim haec interpretatio logica (§. 62.), & optima
ac praferenda (§. antec.). Grammatica vero inter-
pretatio contradictione laborat (§. 61.). Ergo illa
est admittenda (§. 60.).

D 2

§. 65.

28 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

§. 65.

Textus 2. Feud. 29. non loquitur de matrimonio ad morganaticam legali; sed de pactitio: & pactitium illicitum non declarat. Inde enim quod tale matrimonium contrahatur cum minus nobili; nondum est legale. Quia ad legale requiritur, ut ratio, ob quam matrimonium sit morganaticum, in lege contineatur (§. II.). Nec ex particula ea lege matrimonium morganaticam legale esse; cognosci potest. Quippe quae particula, tam in autoribus classificis, quam in ipsis fontibus iuris nostri, saepissime denotat pactum: prout quilibet, horum gnarus, non ignorat. q.e. primum.

Ipse porro lex ait, consensu contrahentium tale matrimonium fieri. Ergo faciunt pactum. Ergo, cum lex per se non privet liberos iuribus familliae, matrimonium est pactitium (§. II.) q.e.a.

Denique lex citata non addit prohibitionem. Ergo ex hac lege matrimonium nostrum non fit illicitum (§. 19.) q.e.t.

§. 66.

Ex textibus 2. Feud. 26. §. filii, & 2. Feud. 29. matrimonium ad morganaticam pactitium fit licitum. Textus enim hi citati matrimonium nostrum approbat (§. 64. & antec.). Quoties vero lex positiva id quod in se illicitum approbat; toties quoque dat ius agendi. Ergo licitum constituit.

§. 67.

Textus citati de feudo tantum loquuntur, in eoque

eoque matrimonium ad morganaticam pæctitum licitum constituant (§. antec. & per ipsa verba textuum).

§. 68.

Ratio, ob quam filii morganici in feudo (secundum nostram interpretationem) non succedunt; est, quia ex usu ita admittitur. Per ipsa verba textus 2. Feud. 26. §. filii in fine.

§. 69.

Si iura familiae, matrimonium morganaticum pæctitum contrahentis, non sunt feudum, sed alia iura; matrimonium ad morganaticam pæctio tale, ex usu non admittitur: ideoque matrimonium hocce licitum esse, usus non est ratio. Desunt enim facta, ex quibus usus probari posset.

§. 70.

Matrimonium ad morganaticam pæctio tale, & in aliis iuribus familiae, praeter feudum licitum esse; ex textibus citatis decidi nescit. Quia enim textus citati, tantum de feudo cogitant, de aliis vero iuribus familiae minime; necesse est: ut in decido hanc requiratur, ut casus sibi invicem ob paritatem rationis substui possint. Ratio autem in feudo, est usus (§. 68.): in aliis iuribus familiae vero, deficit haec ratio (§. antec.). Ergo cessat decisio.

§. 71.

Quoties leges positivae in casu quodam nihil dicidunt; toties obtinet id quod iuris naturalis est.

D 3

Ergo

30 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

Ergo in matrimonio ad morganaticam pacto tali, in iuribus familiae quae feudum non sunt sese exerente; obtinet id quod iuris naturalis est (§. antec.).

§. 72.

Utrum & filiae morganicae pactitiae in feudo non succedant; citati textus non expresse determinant (per ipsa verba texuum).

§. 73.

Ex usu non constat; filias morganicas pactitias a feudo excludi. Usus enim deficit.

§. 74.

Filiae morganicae pactitiae, modo aliter feudi sint capaces; per citatas textus a feudo non excluduntur. Nam per analogiam iuris, decisio casus facienda. At cum haec paritatem rationis requirat; ratio vero in textu sit usus, qui in dato casu deficit (§. antec.); sic veritas propositionis elucet.

§. 75.

Circa exclusionem filiarum a iuribus familiae; obtinet id, quod iuris naturalis est. Per leges enim positivas haud deciditur (§. antec.).

§. 76.

Matrimonium ad morganaticam pacto tale celebraturus, efficiat ut uxor & liberi de iuribus familiae (§. 3.) haud participant (§. 6.). Habebit vero iura familiae, quae vel feudum tantum sunt; vel iura familiae, quae feudum non sunt tantum, vel tam feudum quam alia iura familiae habebit.

§. 77.

§. 77.

Matrimonium ad morganaticam pacto tale celebraturus, qui feudum tantum habet, vel habet tantum feudum masculinum; vel tantum feudum foemininum; vel utrumque simul.

§. 78.

Qui feudum masculinum tantum habet, nulla vero alia iura familiae (§. 76.) ; matrimonium ad morganaticam pacto tale licite mire potest. 2. Feud. 26. §. filii enim secundum nostram interpretationem permittit, ut filii morganici in feudo non succedant (§. 64.). Ergo filios excludi, licitum est. Cum vero nullus aliis adsit, cuius ius in dato casu turbaretur; nulla ratio adest, ob quam matrimonium nostrum in dato casu illicitum fiat.

§. 79.

Qui feudum foemininum tantum habet, nulla vero alia iura familiae, quae feudum non sunt; filios licite excludere potest (§. antec.). Filias vero non, nisi aut plane iis nullum competit ius acquirendum; aut patri competit ius, aut in genere aut in casu ineundi matrimonii morganatici pactitii, de iure filiarum acquirendo, disponendi; aut denique matrimonio ad morganaticam pactitio, maior quam alio, promovetur perfectio (§. 41, 43, 27.). In reliquis vero casibus & in dubio filias excludi a iuribus familiae; illicitum est (§. 45, 46, 74, 75.).

§. 80.

Qui tam feudum masculinum, quam foemininum

32 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

num habet; in priori id quod §. 78. in posteriori vero id, quod §. antec. dictum; agendi ius habet. Quicquid de subiectis simplicibus praedicari potest; in coniunctione eorum quoque praedicabile est (p. princ. log.).

§. 81.

Si quis iura familiae, quae feudum non sunt, tantum habet (§. 76.); obtinet id, quod iuris naturalis est (§. 71, 76.).

§. 82.

Si matrimonium morganaticam pactitum celebratus, iura familiae quae feudum non sunt tantum habet, quando aut liberi nondnm nati nullum plane ius habent, aut quando patri ius, de iuribus familiae in casu matrimonii nostri ineundi, disponendi competit, aut denique quando eo maior promovetur perfectio quam imperfectio; matrimonium morganaticum pactitum licitum est (§. antec. & 41, 43, 47.); quando vero nullum de his requisitis adest, & in dubio; est illicitum (§. 45, 46, 56.).

§. 83.

Qui iura familiae, tam feuda quam alia existentes, habet; matrimonium ad morganaticam pacto tale licite contrahere potest, ut tamen id, quod de singulis sigillatim dictum, in complexu observet (§. 78-82.). Eodem modo probanda venit haec proposicio, quam §phus 80.

COR. I. Contrahenti hoc matrimonium, a feudo masculino quemlibet excludere, fas est.

COR. II.

COR. II. Contrahenti matrimonium nostrum, a feudo foeminino masculos indistincte excludere, licet. Non acque filias (§. 79).

COR. III. Non necessarium esse, ut liberi morganici omnibus iuribus familiae priventur; ex antecedentibus patet. Unde etiam nova, matrimonii morganatici pacitii, divisio formari potest. Quae tamen ad institutum nostrum non adeo tenderet.

§. 84.

Pactum morganaticum dicitur illud pactum, quo ratio matrimonii morganatici pacitii contineatur (§. II.).

§. 85.

Pactum morganaticum non solum antequam liberi iam nati adfunt, sed etiam antequam nascituri sperantur, ineundum est. Statim enim ac liberi iam nati adfunt, iura familiae acquirenda in iura familiae quae sita transeunt. Positis enim iam natis, pater de feudo disponere nequit. 1. Feud. 8. pr. Rationem vero huius legis esse ius quae situm, iam supra ostendimus. Ius quae situm autem & in aliis iuribus familiae, quae feudum non sunt, liberis iam natis obtinet. Quanquam enim non semper sit ius praefens, tamen est ius futurum. Sicque cur in feudo & aliis iuribus familiae pater disponere nequit, ius quae situm iam natorum est ratio. Ergo casus hi, ex identitate rationis sibi invicem substitui possunt. Ergo analogia iuris formari potest. Ergo propositionis veritas universaliter patet. Quod erat primum.

E

Dein-

34 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

Deinde cum per principia iuris Romani statim ac nasciturus speratur, simulac, si de eius favore quaeritur, pro iam nato habeatur; sic statim etiam ius ei auferri, illicitum est. Pactum vero morganaticum hoc efficit (§. antec.). Ergo pactum hucce, antequam nasciturus speratur, est ineundum. Quod erat alterum.

§. 86.

Pactum morganaticum imperfecto adhuc matrimonio est ineundum. Perfecto enim matrimonio seu coniugio nasciturus speratur. Quanquam enim non statim indicia graviditatis seu praegnationis ad sint certiora; concubitus tamen celebratus prae sumitur, quippe qui magis pro quam contra praegnacionem militat. Pactum vero hocce, antequam nasciturus speratur, ineundum est (§. antec.). Ergo imperfecto coniugio ineundum erit.

§. 87.

Quando matrimonium ad morganaticam pacto tale licitum est; licitum est quoque matrimonium ad morganaticam mixtum: & quando illud illicitum est, illicitum quoque est hoc. Matrimonium enim morganaticum mixtum ex legali & pacto tali consistit (§. II.). Cum vero ex hisce mixtum constat; per se patet matrimonium morganaticum legale & pacto tale matrimonii morganatici mixti essentialia esse. Qualia vero essentialia sunt; talis quoque est essentia. Si ergo essentialium illicitum est

est unum; ens licitum esse nequit: & si omnia es-
fentialia licita sunt; ens quoque licitum est. Idem-
que valet hic.

§. 88.

*Quicquid a §. 78. usque ad §. 83. inclus. de ma-
trimonio morganatico pactio dictum; valet quoque
in quaestione liciti vel illiciti matrimonii morganatici
mixti (§. antec.).*

§. 89.

*Matrimonium morganaticum mixtum, ante-
quam liberi non solum iam nati adsunt, sed etiam
antequam nascituri sperentur; ineundum est: sicque
etiam imperfecto adhuc coniugio ineundum est. Cum
enim ex matrimonio morganatico legali & pacto
tali consistat (§. 11.); pacto tale supponit pactum
morganaticum (§. cit. & 84.); pactum morganati-
cum vero imperfecto adhuc coniugio ineundum
est (§. 86.); sic etiam haec propositio tanquam ve-
ra elucer (§. antec.).*

§. 90.

*Matrimonium ad morganaticam pactitum in
iuribus familiae quae feudum non sunt, ut & eo fi-
liae a feudo excludere, licitum esse; in dubio non praes-
sumitur. Species enim hae determinationi iuris
naturalis relinquuntur (§. 70, 71, 72, 73.). Sicque in
dubio illicitae praesumuntur (§. 56, 57.).*

E 2

§. 91.

36 DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA.

§. 91.


Quicquid Ipho antec. de matrimonio ad morganaticam pacto tali dictum; valet quoque de matrimonio ad morganaticam mixto (§. 87.).

Hisce proposito meo satisfecisse, puto; dum tantum de hac materia tractationem generalem elaborare, promisi. Specialiorem, volente DEO, alia occasione proponere studabo. B. L. peto, ut hisce contentus esse velit, & specimine inaugurali subscribo.

T A N T V M .

ERRATA EXTANTIORA.

Pag. 5. lin. 2. *quos* lege *quas*. Pag. 7. l. 18. *affentimus* lege *affentimur*. lin. 20. *fruuntur* lege *fruuntur*.
Pag. 12. l. 23. *vili* lege *vilis*. l. 26. *qua* lege *qui*. Pag. 13.
lin. 2. & 8. *argumentant* lege *argumentantur*. Pag. 28.
l. 13. *ipse* lege *ipsa*. Reliqua vitia typographica B. L. facile emendabit.



CON-

CONSULTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. D.

P R A E S E S .

TVA erat, cum mihi eam offerres, haec dissertatio. TVA etiam adhuc erat, cum eam TIBI redderem. TVA itaque iam est, cum publicae luci exponitur. Ego enim, nec volui nec potui, quicquam mutare; ideo, quoniam nec volui nec potui contra ius **T V V M** agere. Praesens institutum quidem non permittit, de iure Praesidis in dissert. inaugur. Respondentis multis differere, hoc tamen, quin moneam, non possum non, non licere Praesidi, specimen inaugura- rale Respondentis, absque eius consensu, ad suum captum accommodare, suasque me- ditationes Respondenti obtrudere. Non Praeses enim, sed Respondens, suae erudi-

E 3

tionis

tionis specimen edere vult & debet, in elaborando specimine inaugurali. Etsi vero Praeses cum Respondente in defendenda dissertatione communem causam faciat, non tamen ideo, si quid video, licet ei quaeviis refecare, quaeviis addere, quae displacent vel placent. Sic enim Respondens defendere debet quae sunt Praesidis, cum tamen, si aut Praeses defendere debet quae sunt Respondentis, aut Respondens quae sunt Praesidis, Respondentis partes credrem esse favorabiliores. Haec vel ideo, CONSVLTISSIME DOMINE CANDIDATE, monere volui, ut etiam quoad hanc dissertationem suum cuique tribuantur. TVAE vnice industriae & eruditioni debetur tota haec dissertatio, nec quidquam meum est, praeter nomen meum, quod in fronte gerit, cum TIBI placuerit, me eligere Praesidem, quam benevolentiam grato agnosco animo. Prout vero TVO marte scripta & elaborata est haec dissertatio, ita & in defensione eius meo non indigebis auxilio, & meum erit etiam in ipso conflictu tibi ius tuum tribuere. Nam & hic saepissime peccant Praesides,

dum

dum non recordantur, quod tantum in
subsidium partes Respondentis tueri de-
beant, illique, sicuti haeserit, suppetias
ferre, sique pruritum disputandi debeant
compescere. Habebis itaque me, etiam
in ipso conflictu, potius testem TVAE erudi-
tionis, quam tales, qui TIBI molestus erit,
auxilium obtrudendo. Quod supereft, gra-
tulor TIBI de hoc specimine eruditionis, &
dudum promeritos honores, ab ordine
ICTorum in Regia hac Fridericiana proxi-
me conferendos, felices appreco. Mei,
quod peto, nunquam depone memoriam,
& ita vale, mihiique, quod facis, fave.

Scrib. in Regia Fridericiana die xv Ian.

clo lccc xxxxviii.



CON-

CONSULTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. D.

D. JOANNES HARTWICH REVTER.

Si quo maiorem intradendis iusto ordine suis ipsorum doctrinis legitimae scientiae sacris iniciati operam figunt: eo plus aestimii ac praeconiorum iisdem illis iure meritoque debetur; tanto maiorem certe laudem suo veluti iure exigere videntur, qui methodum quam aiunt naturalem syntheticam ad iuris scientiam transferre satagunt: quanto hunc cogitandi ordinem reliquos parafangis post se pluribus relinquere in aprico est. Ordinem esse cognitionum varium, variasque in species methodum abire, nec dupondii in logices scientia ignorant. Sia reliquis discesseris, vel secundum determinati cuiusdem ordinis, regulam nulla obiectorum naturae ac indolis habita ratione, nostra in ordinem redigimus adserta, methodum vocant mere artificialis; vel opposita ratione nostras ordine collocamus cogitationes, methodus naturalis methodi nomine venit. Quem autem admodum ex illa parum aut nihil utilitatis in nostram redundat cognitionem: *Siquidem, verba sunt SENECAE, a magno artifice, prave formantur multa, non quidem quia*

quia ars cessat, sed quia id, in quo exercetur arti saepe
inobsequens est; ita haec, si rationis est, omnia pun-
cta fert, seque de meliori nota commendat. In
quam igitur methodum si incidimus; vel cogitatio-
nibus ad amissim sibi subordinatis, ratione utrius-
que claritatis analyticae tam quam syntheticae ha-
bita, praemissis generalioribus ad specialiora: vel
hisce anticipatis ad illa demum pronehimus. Illo
in casu synthetico ordine, hoc vero non nisi cogita-
mus analytico. In illa methodo, rationis, scholae
atque tabellarem, in hac vero seiueta tabularum
methodo, methodum rationis & interdum scholae
coniungi: illam rationi, intellectui, speciatim acu-
mini, profunditati, in primis autem memoriae, hanc
autem ad eiusmodi commoda commode aequa
compositam non esse, temere haud dixeris. TV,
CONSULTISSIME CANDIDATE, in specimi-
ne, quod telis opponentium expositum is, pereru-
dito, eum T E praestas, qui internoscit, quantum
distent aera lupinis. Gratulor **TIBI**, felices inge-
nii **TVI** ad optima quaevis nati ac formati foetus,
summosque, quibus obeundis T E accingis, in
utroque iure honores. Reliquorum vororum
quae **TIBI** debo, summa est: doctrinae laus, flo-
ridusque fortunae status in dies augescat magis ma-
gisque. Vale, mihiique quod facis, fave. Halae
III. Idus Ian. c/o Iccc XLVIII.

F

CON-

Consultissimo Domino Candidato

S. P. D.

G. STOLLE Oppon.

Jurisprudentiae studium per amplum esse, & cultores eius & osores per omne aevum sunt professi. Et si quid unquam? hoc certe veritati consentaneum credo. Vastum enim iam admodum est Ius Ciuale scriptum. Quid? si reliquae Iurisprudentiae partes, si mores accedant. Quid? si subsidia sine quibus Leges nec intelligi rite, nec applicari accurate possunt addideris. Quo diffusior itaque est legitima nostra scientia: & quo magis id quenvis, campum eius ingredientem deterrere posset: eo maiorem omnino pertinax T V V M, quo semper strenue illi vacasti studium laudem meretur. Quinquennium iam in felicissima hac generi humano arte versatus es; & ita quidem, ut cordatum quenvis eius studiosum decet. Non enim satis duxisti, veritates ab aliis acceptas memoriae mandare solique tantum verborum cortici inhaerere: sed hoc TIBI datum credidisti, ut in Legum assidue inquirereres rationes, easque partim ex Iuris nostri semel adstructis hypothesibus, partim ex antiquitatum & historiarum monumentis, partim etiam & praecipue ex aeternis Iuris Naturae Legibus, erutas ponderares, ponderatasque animo haud elabi curares. Qui labor, quo melius TIBI succederet, reliqua, uti studia subsidiaria, ita Philosophiam preeprimis strenue coluisti. Omnia autem maxime ea TIBI curae cordique fuerunt, unde aliis olim subvenire, ac in foro

foro opitulari posses; quaeque tam ad agendum,
quam ad respondendum atque cavendum prodeissent.
Sed quid opus est ea verboſitate cum res ipsa iam lo-
quatur? ita ut facile meis supersedere laudibus pos-
ſis. Docet enim iam ſatis erudita TVA Diftoratio
quid in Iure noſtro profeceris? & docebit amplius
publicum ad quod TE accingis certamen quam
praeclare res TVAS in Academis gafferis? Merito
igitur cum Prolytæ nomen iam meruisti huic adhuc
ſummi in utraque Iure iungentur honores. Qua de
re non poſſum non ex intimo TIBI cordis affectu
gratulari, cum & infucata, quae ſemper inter nos
interceſſit, amicitia id iubeat, & Opponentis quo me
exornare benigne voluisti, munus optatissimum id
exsequendi praebeat occaſionem. Seruet TE DEVS
T.O. M. in gaudium & ornamentum Nobilissimæ
Gentis TVAE, in Patriæ Reipublicæ, ad quam iter
paras emolumētum, inque orbis litterarii decus
faxit praeterea ut omnia TIBI ad patrias lares re-
verſo ex voto cedant, & ut doctorales TIBI ad alios
viam apierant honores. Vale mihiq; & abſens fave.

Consultissimo Domino Candidato

S. P. D.

L. M. B E E G, Opponens.

Duo abhinc ſunt anni & quod excurrit temporis ſpatium, quo
tuum inire contuberrium, Tecum dies consumere ac otium
honestum, verfare legum interpretes & labores & onera commercio
iucundo atque utili luſcipere quaeviſ licuit. Ingenue fateor, inter
amicos bene multos obtigilſe mihi neminem, qui ſenſa animi ae
propriationem factis Te integrior comprobarit. Antiquam ſem-
per

per virtutem & fidem deprehendi, fontes amicitiae perpetuas, unde
fluxit constans quorumlibet & eiusmodi quoque officiorum decla-
ratio, quae imperfecte tantum aliis debentur. Quotiescumque id
mente agito, nunquam nisi cum summa laetitia hoc accidit, accidit
autem saepius, & referre meritis vicem contendo & delicias capio
ex splendoriori tua fortuna, quam maxime adaugebunt honores in
utroque iure ab illustri ICtorum ordine tibi proxime conferendi.
Singuli, qui etiam aliquatenus in contemplatione vitae generis Tuae
animum suum exerceant, haud diffitebuntur, hosce honores in qua
cum illis connexa, praemia esse, quae industria tua, quam praeter cul-
turam doctrinae solidioris & in studia iuris impendisti, atque erudi-
tio hinc tibi comparata, dudum iam promovererint. Solus intuitus
dissertationis Tuae, quam & me teste propria marte, sine cuiusvis
auxilio, litoris atque accessionibus conscripsisti, & quae specimen
erit inaugurale, iudicium hoc a me exigit & firmat. Elegisti argu-
mentum admodum difficile & ponderosum, cum de matrimonii
morganatici pacto talis licentia atque usu differere tibi proposueris,
quaestionem movens inter ICtos maxime controversam multisque
tricis adhuc involutam. Ostendis, te esse non solum Iuris peritum
sed etiam philosophum: Onnia quae in hac quaestione difficulto-
ra praetererunt alii, ex primis te & intimis iuris naturalis principiis
eruisse atque, unde praelarum quid praefisisti, methodi senioris
quae synthetica audit, omnino consciente fuisse ac compotem. At
non solum in praecipiti Iuris Naturalis substitisti sed etiam ex legi-
bus positivis, adhibita legitima illarum interpretatione, sententiam
firmiter demonstrasti, bene gnarus, legum & cognitionem & applica-
tionem, nisi perspectis earum rationibus vix recte se habere. Mer-
rito igitur gratulor tibi de mediis apis ad finem vitae academi-
cae verum electis ac imperatis. Summum Numen probitatem &
industriam tuam omni felicitatis genere compenset, ut in patriam
nunc revertenti occasio desit nulla, convertendi aquitatem dexteritate
in aliorum & tuum emolumentum. Hanc enim arbitror
homini litteris gravioribus ac humanitate polito egregiam laudem
ac rem, si quae vitae didicit, & vitae mox dari possit. Vale &
prosequi favore nunquam desine amicum tibi de-
vincissimum.



Halle, Diss.) 1748. (1)


ULB Halle
002 729 407


3



S6-

VP18





D. A. B. V.

DISSE^TAT^O IN AVG^VRALIS IVRIDICA
SISTENS
QVAESTIONEM
AN ET QVATENVS
MA TRIMONIVM
AD
MORGANATICAM
PACTO TALE LICITVM SIT?
IN GENERE,

P. Aug
QVAM
EX CONCESSV
ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE FRIDERICIANAE
P R A E S I D E
VIRO CONSULTISSIMO AC DOCTISSIMO

D. DANIEL NETTELBLADT
REG. MAIEST. PORVSS. A CONSIL. AVL. ET IN ALMA
FRIDER. IVRIVM P. P. O.

P. Aug
PRO GRAD^V DOCTORIS

AD DIEM JANVARII MDCCXLVIII.

H. L. Q. G.

PUBLICO ERVDTORVM EXAMINI SVEMITTIT
AVTOR

IOHANNES BALTHASAR KOELBELE
MOENO-FRANCOFVRT.

HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOHAN. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYP.

